



16  
17  
29  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10



1680.

1. Beckmann, Joh. Volk: De imperitia et infirmitate

2. Exempt. 1680 - 1746.

2. Beckmann, Joh. Volk: De aestimis . . . 2. Exempt.  
1680 - 1720.

3. Falckner, Joh. Christophorn: De gratia seu jure  
aggratiandi.

4. Falckner, Johann Christoph: De jure prohibendi.

5. Falckner, Joh. Christophorn: De injuria parentum  
erga liberos.

6. Fieren, Johannes Benhardts: De licentia civitatis.

7. Jacobs, Johannes: Specimen differentiarum juris civitatis  
Romani et statutaris liberae S. R. I. ~~imp~~ rei publicae  
Munensis

8. Jacobs, Johannes: De lactu.

9. Fessen, Matthias: De novatione in specie sic dicta.

10. Fessen, Matthias: De praerogativa creditorum  
in pignore.

1680.

11<sup>a</sup> et <sup>b</sup> Kaempffer, Tractatus : Jus appalsus 2 Bempt.

12. Kaempffer, Tractatus : Lex regula [1.] l. foeminae [2.]  
et l. eius [3.] h. t. ut. ff.

13. Kaempffer, Tractatus : De augmento. Continetio ult.  
partis specialis membrum II. De juris augmentorum,  
extra causam dominii, qualis habetur.

14 Kaempffer, Tractatus : Coloni partiarum jura.

15<sup>a</sup> et <sup>b</sup> Lynckerus, Nicol. Christoph. : De fendo pecuniaria  
2 Bempt. 1680 et 1725.

16 Lynckerus, Nicol. Christoph. : De fideicommissis  
universalibus.

17<sup>a</sup> et <sup>b</sup> Lynckerus, Nicolaus Christoph. : De potestate  
eminente principis in iudiciis. 2 Bempt. 1680 et 1737

1680/4 a  
20.  
13

1111.

# J U S A P P U L S U S,

Das  
Strandt-oder Grundrühr-Recht/

Divinâ asistente gratiâ

&

Illustris Jctorum Ordinis permissu,

*in florentissimâ Jenensi,*

PRÆSIDE

DN. JOACHIMO Rämpffer/

J. U. D.

*Publicâ Disputatione, eruditorum disquisitioni*

*subjiciet,*

AUCTOR & RESPONDENS

JOHANNES DIETERICUS Kettler/

Nordâ Frisus Orientalis.

*Ad diem Augusti Anno 1680.*

---

JENÆ, Literis JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI.

V I R O  
• PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
CONSULTISSIMOQVE  
DOMINO  
POMPEJO BERCKIO,  
J. U. DOCTORI  
SENATUI POPULOQVE DORDRACENO  
A CONSILIIS, UT ET AD CONVENTUM  
ORDINUM HOLLANDIÆ AC WEST-  
FRISIÆ DELEGATO,

AVUNCULO SUO FILIALI OB-  
SERVANTIA DEVENERANDO

HANCCE DISPUTATIONEM

DEDICAT CONSECRATQVE

AUCTOR.





# DE JURE APPULSUS.

## CAP. I.

### DE NOMINE.

#### I.

**I**n disputatione meâ ad L. Rhodiam de Jactu, Jus affine Appulsus singulari disputatione excutiendum promississe memini; quod nunc expositurus, eâdem methodo nominis declarationem præmitto. Vox autem *Appulsus* verbo Appello, appuli, *appulsum*, appelle-re, *anländen / antreiben* / originem debet; De rebus namque naufragorum, quæ à fluctibus ejecta, ad littus sunt appulsa, Jus Appulsus disponit.

#### II.

Ambiguitate tamen, prout ad varia refertur objecta, vox *appulsus* in jure non caret, quæ tamen ex apposito facillè evanescit; Cum apposito enim, servitutis notat speciem, & pecoris ad aquam *appulsus* dicitur, de quo in §. 2. *J. d. Servit. l. 1. §. 1. ff. de S. P. R.* Absolutè verò & simpliciter si *Jus Appulsus* dicamus, illud quod hujus loci est, & de ejectis in littus disponit, intelligimus.

#### III.

Et hoc *Jus Appulsus*, aliis *Jus naufragia colligendi*, aliis *compendium naufragiorum*, Germanis *Strand-Recht / Grund-Ruhr-Recht* vocatur, barbarâ opinione ita dictum, *weilen / was aus dem Schiff-Bruch anstrandet / an meinen Strand i. e. an mein Ufer treibet / oder meinen Grund und Boden anrühret / daß ist meinem Recht anheim gefallen*. Ubi tamen secundum acceptionem inferiorum Saxonum vox *Grund* / notat fundum maris vel fluminis quemcunque. *Grund-Ruhr*



illam fundi sub undis partem, quâ navigium ire nequit, quin fundum attingat. Non ergo illa tantum hoc jure comprehendi solent, quæ in littus ejiciuntur, sed & quæ in vado sunt, non procul à littore, quo naufragium fieri potest. Confer de hac appellatione Schottel. *in tr. de sing. antiq. jur. cap. 20. n. 8.* ubi: **Die Grund-Ruhr** / inquit, **ist** deshalb geheissen / weil das Schiff auf denen Strömen / sonderlich den Grund bey seinem Unfall berührt / und auf dem Grunde besitzten bleibt. Unde alii hujus vocis **Grund-Ruhr-Recht** / hanc reddunt compositionis rationem, quod contracta sit ex voce **Grund** / quia hæc significat solum, ejus nempe, qui naufragia sibi vindicat, ex voce **Ruhr** / quoniam à nemine vindicantur, nisi fundum ejus attingant, & ex voce **Recht** / quod talium confiscatio & occupatio ex inductâ consuetudine sit juris facta.

## CAP. II.

### DE DEFINITIONE JURIS APPULSUS, ET CAUSA EFFICIENTE, ET ORIGINE.

#### IV.

**Jus Appulsus** est **Jus** quarundam Gentium, bona naufragorum littori cujusque appulsa, & ad hærentia occupandi & habendi, consuetudine, plus quàm barbarâ, inductum, & nonnullibi retentum, publicis tamen Imperii constitutionibus improbatum & abrogatum.

#### V.

**JUS** quidem dicitur, si præsentem respiciamus materiam, magis per transpositionem literarum, quod non nisi **VIS** & injustissima quidem sit, quâ, quod immania elementa miseris in solatium salvum esse voluerunt, crudelitas hominum eripit; Aut si rei veritatem attendamus **JUS SUMMUM** potius dicitur, quatenus nempe summam notat injuriam, quàm ut veram juris appellationem mereatur. Prout tamen generali nominis acceptione, qualiscunque superioris jussus & voluntas, sive expressa, sive tacita ad ob-

ser-

servantiam astringens, Jus dicitur. hæc quoque naufragia diripiendi, seu, ut molliori verbo rem atrocem exprimam, occupandi consuetudo, Jus vocari poterit, & ita dictum Jus nihil aliud est, quàm impunita quodlibet faciendi licentia, publicâ auctoritate legis aut consuetudinis corroborata: qualia jura irrationabilia, irrationabiles consuetudines dicuntur. *Rubr. art. 218. Constit. Crim. Car. V. Von Mißbräuchen / und bösen unvernünfftigen Gewohnheiten / so an etlichen Orten und Enden gehalten werden.* Unde de hoc jure Bodinus *l. 1. de Republ. c. 10.* scribit; Jus quæris? Error Jus facit, At scelus est, quod erroris specie prætenditur.

## VI.

QVARUNDAM GENTIUM hoc verbo causa hujus juris efficiens indigitatur, quippe, quod Barbari Gentium quarundam mores induxerunt; dona maris, quæ ita appellerent, putantium, accolis invenientibus, aut illis, qui provinciæ summas tenerent, concessa. Unde & Anna Mammorantius Henrici II. Galliæ Regis Equitum Magister, Legato Cæsaris, naves ad littus appulsas reposcenti, respondisse fertur. Ejecta Gentium jure ad Principes littoribus imperantes pertinere, teste Bodino *de Rep. l. 1. c. ult. p. m. 267. & seq.* Quo quidem errore, in bonis primùm illis, quorum ex naufragiis appellentium dominus pristinus ignoraretur, connivente quasi ratione, Jus illud *Appulsus* natum, mox & in illorum bonis, qui amissa longiùs persequerentur, à cupiditate, quæ rationem excoecare solet, educatum; denique tanto robore confirmatum fuit, ut in præsentis naufragii calamitate constitutis, cum bonis, simul spem recuperandi, quam reliquam maris impetus esse voluerat, eriperet, ipsamque reclamantem prorsus eliminaret rationem; ut prædâ ex alienâ miseriâ eò dulcius & liberiùs pasceret. Imò eò barbaricæ crudelitatis multi sunt prolapsi, ut ipsos naufragium elapsos, in triumphum quasi perpetuæ servitutis, perducerent, & barbaram hanc, quàm omnis ignoraret humanitatis sensus, inducerent *juris appulsus* consuetudinem; de quâ sic laudatus scribit Schottelius *d. tract. c. 20. n. 4.* *Wie dann in den alten teutschen Geschichten exempla vorhanden / daß wegen Verunglückung des Schiffes / Mann und Weib / jung und*

und alt/so darauf gewesen / leibeigen angenommen / und  
die Güter preis gemacht. Item / das grausame Strandt-  
Recht / ist von den alten Schiff- fahrenden Teutschen  
und Sachsen / auch bey andern Nationen in Europa zur  
Gewohnheit gebracht. Et n. 5. ubi barbarum hoc Jus, sed  
antiquum dicit, quodque ita vivatur, ut qui portus habent, eam  
crudelitatem, tum in cives, tum in peregrinos exequantur. Et  
Regner. Sixtin. talia naufragiorum compendia, à nonnullis Prin-  
cipibus inter Regalia fuisse numerata, tradit l. 2. de Regal. c. 3. n. 91.

VII,

Originem quidem Cyclades Insulas inhabitantibus nonnulli  
tribuunt arg. l. 9. ff. ad L. Rhod. & Rhodiorum legibus illud Jus cau-  
tum fuisse, Seldenus auctor est in mar. claus. l. 1. c. 24. & 25. Alii  
Græciæ populis, de quorum quidem consuetudine agit Lindenbroch.  
gloss. LL. antiq. voc. Naufragium. Sanè si non & Christiani Princi-  
pes, contra omnem pietatem, & tot publicarum sanctionum de-  
testationes, barbarum hoc Jus exercuisse, exemplis constaret plu-  
rimis, vix credibile esse dicerem, Rhodiorum tam celebria, tamque  
multis commendata populis, Romanisque Principibus probata jura,  
tantò iniquitatis nævò adpersa & commaculata fuisse, ut naufrago-  
rum bona fisco concesserint. Nec illuc referri possunt Eudæmonis  
querelæ in d. l. 9. aut quod parùm Antonini juvatus fuerit rescripto,  
quippe dum Lege Rhodia causas querelæ adjudicari voluit Antoninus,  
haud obscure, auxilium ex istà lege habere potuisse Eudæmonem, si-  
gnificatur, nec tales naufragiorum confiscationes istis admissas fuisse  
legibus. Et si fortè non omnimodò lex Rhodia naufragiis pro-  
spexisset, suas Imperator jungi voluit leges, hanc in rem latas.  
Ideò Lege inquires id Rhodia adjudicetur, addit: quatenus nulla no-  
strarum legum adversatur. Nam & ipse & ejus pater, jam ante re-  
scripserant. Unicuique licere impunè naufragium suum collige-  
re, teste Ulpiano in l. ult. ff. de Incend. ruin. Et verosimile est, &  
manuscriptis Codicibus comprobatum legem l. C. de naufrag. quâ  
nullum Jus ex alienâ calamitate fisco permittitur, non Constanti-  
ni, sed Antonini esse, consentiente veteris juris Analogiâ, secundum  
quam, nec quæ propter tempestatem ejecta sunt, fisco cedunt l. 43.  
§. pen. ff. de Furt. & subversâ navi merces, per urinatores extra-  
ctas, dominorum manere, testatur Callistratus l. 4. §. 1. de Leg.  
Rhod.

*Rhod.* qui etiam floruit tempore Antonini. Nec ullo, quod sciam, loco juris Romani, naufragium vel inter modos amittendi dominium, vel fisco quærendi, refertur.

VIII.

Ex quo apparet, quàm invalida sit illorum sententia, qui tùm Rhodio, tùm Romano jure naufragorum bona fisco cessisse, idque Antoninum hic in *d. l. 9. de L. Rhod.* respondisse, & aliud demum per Constantinum *d. l. 1. C. de Naufr.* constitutum fuisse, asserunt: Et quamvis illorum sententiam juvare videatur Juvenalis *Satyr. 4. n. 54. 55.*

Quicquid conspicuum, pulchrumque est æquore toto,  
Res fisci est, ubicunque natat.

Non tamen publicè pro jure invaluisse, & servatam fuisse, in laudatissimo, & morum observantissimo populo Romano, tam sceleratam consuetudinem isti versiculi probare possunt, sed uti dictus Juvenalis in suis Satyris scelera, & corruptissimos mores sui temporis perstrinxit, ita & illud, quod sub specie juris fiscalis è naufragiis, qui littoribus & portibus fluminibusque adhabitabant, aut eorum gerebant curam, publicani item similesque, quærebant compendium, depinxit. Ex quo non sequitur, *Jus Appulsus* inter Romanos viguisse, sic namque omnia, quæ Juvenalis Satyricè corripuit vitia, jure publicè comprobata consuetudinis, frequentata fuissent, quod à sanctimoniâ jurium Romanorum alienum.

IX.

Quid tamen sæpè factum fuerit, & quo multos scæda compendii traxerit cupiditas, quæ leges sæpè vicit, & multas egregias res labefactavit, teste Leone in *Nov. 57.* variæ isti malo oppositæ leges & constitutiones Romani Imperii, secundum illud Macrobiani, *Ex malis moribus bonæ leges procreantur*, satis testantur. *t. t. C. de Naufrag. l. 4. §. 1. de L. Rhod. l. 43. §. 11. ff. de Furt. Auth Navigia C. de Furt.* Nec simpliciter inficior, istis Romanorum Principibus, quibus fisci augendi, & luxuriæ suæ opes quærendi, maxima cura erat, quibus & lucri ex re qualibet bonus odor fuit, barbarum illud naufragiorum potuisse placere compendium, cum & atrociora quælibet iis non displicerent.

X. Co.

X.

Gothis quidem & Longobardis origo dicti naufragiorum compendii tribui nequit, illos tamen longis temporibus, littorum quasi jure naufragia occupasse, testatur Cryphiand. in *tr. de Insul.* ap. Fritsch. c. 31, n. 108. & seq. pag. m. 289. & simile de Belgis scribit Vinnius in *Comment. ad §. ult. Instit. de R. D.* De rebus, inquit, in tempestate ejectis, aut naufragio perditis, inque littore inventis, aut extractis è mari, idem in hac regione antiquitus Jus fuit, quod nunc Principum ferè omnium, maris accolarum commune est, fisco statim ut vindicarentur, adeoque ipsa etiam fragmenta & tabulas quassatarum scopulisque illisarum navium.

### CAP. III.

## DE OBJECTO MATERIALI JURIS APPULSUS.

XI.

**BONA NAUFRAGORUM,** Hisce verbis objectum nostri sic dicti juris appulsus exprimitur. Nempè sunt bona, non exonerata, aut exposita, à feliciter navigantibus. Quamvis autem satius esset, felicem bonis suis aut lucris privare, quàm infelicem & miserum ultimis bonorum è naufragio reliquiis spoliare, tamen illud jure gentium semper injustum fuit habitum, hoc more ex turpissimâ cupiditate pro jure fuit receptum. Et sanè si omnis actio moralis, suam & bonitatem & malitiam præcipuam ac primam ab objecto desumit, docentibus moralistis, quàm nullam bonitatem, quàm perfectissimam verò malitiam, & scelestam turpitudinem, hujus juris actus, ex objecto suo habeant, in aprico est. Naufragis enim, cum nullo alio modo aut medio, nisi per littora cujusque maris, salva esse possint, ea quæ tristissimus eripuit & disperfit casus. Jis hanc suum servandi aut recipiendi negare viam, est miserum ideò opprimere, quod miser esse cœpit; pauperi ideò eleemosynam eripere, quia pauper esse cœpit: quia omnia fortuna ademit, ei, qui in periculo est constitutus, viam unicam emergendi, suumque servandi præcludere, quia non datur evadendi  
via

via alia. Et hæc exerciti hujus juris appulsus turpitudine, ex ob-  
jecto est, quoniam circa illa bona versatur, eaque eripit, quæ  
1. tristissimus casus naufragii. 2. miserrima conditio & depau-  
peratio naufragorum. 3. natura ipsius littoris, in quod appulsa  
sunt naufragis salva esse voluit, & quæ 4. Sana, & barbaris etiam  
innata ratio, salva esse jubet, de quibus post.

### XII.

Non autem tantum circa illa occupatur bona naufragorum,  
quæ alibi contingente naufragio, fluctibus per maria sunt appulsa  
sive adjecta, vel naufragii effugiendi causâ ejecta, in quibus si do-  
minus ignoretur, occupatio admitti jure appulsus poterat, sed  
maximè circa illa, quæ facta in littore naufragio, ipsis periculum  
evadentibus dominis statim negantur, & jure quasi littorum occu-  
pantur. Imò eo hominum quibusdam in locis inhumana processit  
crudelitas, ut & ipsos naufragium facientes ceperint homines, &  
in servitutum redegerint, de quo jam th. VI. dixi: Eamque in rem  
vulgatum prostat dictionum. **Der Schiffer kan Leib und Gut  
verfahren / wann Er Schiffbruch leidet.** De quo vide  
Schottel. *dict. tract. de sing. antiq. jur. c. 20. n. 2. p. m. 389.* quo & ver-  
ba pertinent *art. 218. Const. Crim. Car. V. vers. Desgleichen ibi:*  
**Daß Er alsdann der Obrigkeit dessen Orts / mit Schiff/  
Leib und Gütern verfallen seyn sol.** Et exemplo est, Mater  
& avia Friderici Comitum Stadensis. vide Knich. *de Saxon. non prov.  
jur. c. 5. p. m. 254. n. 140. add. Gryphiandr. de Inf. ap. Fritsch. p. m.  
389. n. III. Kurick. de jur. marit. Hanseat. p. m. 206. pr. & Schottel. d.  
c. p. m. 391.*

### XIII.

LITTORI CUJUSQVE, Littora quidem maris Juris Gen-  
tium sunt, & naturali jure, sicut aer, aqua profluens, & ipsum  
mare, communia omnium hominum, undè nemo ad littus maris  
accedere, naves appellere, onus in his reponere, & quovis mo-  
do iis uti prohibetur §. 1. & 5. *Inst. l. 2. §. 1. l. 4. l. 5. ff. de Res. Di-  
vis. nec usus ille ullo facto quamvis aliàs licito alteri eripi, aut im-  
pediri potest. l. 3. §. 1. & l. 4. ff. Ne quid in loc. publ.* Cum tamen  
quoad imperium cujusque populi sint littora, l. 3. ff. *Ne quid in  
loc. publ.* hunc sibi fructum littorum & imperii in littora finxerunt,  
ut quæ appellerent naufragia, sua esse dicerent, jure littorum, vel

B

im-

imperii : illudque *Jus* ex causâ dixerunt *appulsus*, cujus inde ratio introductionis & justitiæ, de quâ tamen singulari capite exponam, apparet. Unde quatenus alicujus se littora extendunt, eatenus dispersa colligendi naufragia *Jus* habebit.

XIV.

**APPULSA** Non enim omnia naufragorum bona jure *appulsus* statim occupantur, sed ea tantum, quæ ad littus adjecta & *appulsa* sunt, inde namque *Jus Appulsus* dicitur; eoque solo fundamento *Jus* illud exercetur, quod res ad meum vel tuum littus appellentes, ideò, quia huc vel illuc appellant, vel ad me, vel ad te, vel huc vel illuc pertineant. Cætera ergo in medio maris nantia *Jus Appulsus* non comprehendit, namque hujus juris ratio, quæ in *appulsu* & adhærentiâ ad littora consistit, in iis deficit, unde eas, si naufragus expiscetur, & integro alio excipiat navigio, sibi servabit, suumque recuperabit, cum quæ ad littus sunt adjecta, eique adhærent, ejus recuperationem barbaro isto jure evaserint.

XV.

Eo tamen hominum crevisse malitiam, ut & in medio nantia mari *appulsus* jure fisco tribueret, ex illo Juvenalis versu, quem *thes. VIII.* adduxi, multi putant. Sed liberiori verbo, & ab adjectis ac littori coherentibus desumpto, ad quævis mari supernantia extenso, pravum potius perstrinxisse hominum morem, quàm quid jure *appulsus* licitè occuparetur, exposuisse, vero mihi convenientius videtur, cum terrarum quidem, non maris sibi tribuerint Principes dominium. *l. 9. de L. Rhod.*

XVI.

**ET ADHÆRENTIA** Nec enim solum ea, quæ ita *appulsa* sunt, ut supra sive in littore jaceant & quiescant, sed & ea, quæ in fundo primo maris, quo littus & terra per declivum in fundum abit, & quod primi alluentes transeunt fluctus, hærent, aut mutuo contactu, ex profundo etiam maris exsurgenti littori adhærent, illudque per motum saltim fluctuum crebro contingunt, nec recedunt prorsus. Unde & Germanis *Grundruhr* / vel *Grundruhr - Recht* dicitur, weil es gnug ist / daß es den Grund in Abweichung der Wellen / oder sonst das Ufer berührt. Huic consequens est, si fluctibus & tempestate iterum à littore in altum maris abripiantur.



ripiantur, naufragos rursus suo jure ea ex alto maris excipere, & occupare posse, nec jure appulsus ad fiscum pertinere, cum Principum quasi effugerint custodiam, nec littorum & appulsus jure amplius contineantur. *arg. l. 3. §. 2. ff. de A. R. D.* nam & si unquam odiosa restringenda sunt, hoc quoque appulsus Jus, objecti sui aetiori determinatione, restringendum erit. *c. Odis. de R. J. in. 6.*

CAP. IV.  
DE OBJECTO FORMALI JURIS  
APPULSUS.  
A FINE DESUMPTO.

XVII.

**O**CCUPANDI ET HABENDI Hæ voces objectum formale Juris Appulsus notant. Eatenus namque circa naufragia Jus Appulsus versatur, quatenus ea occupandi, & dominii jure habendi, civilem largitur facultatem, iis, quorum sunt littora, quibus sunt appulsa. Non ergo alii occupare aut habere licet naufragia, nisi ei, cujus ratione imperii sunt littora. Unde apparet, hanc, quæ ex Jure Appulsus est, occupationem, ab aliâ, quæ jure naturæ, cuique ratione rerum, quæ nullius sunt §. 12. *J. d. R. D. l. 3. pr. ff. d. A. R. D.* & in littore maris etiam inveniuntur. §. 18. *J. d. R. D. l. 1. §. 1. de Acq. poss.* conceditur, tripliciter differre, Nempe 1. *Subiecto*: Naturalis namque occupatio, modus est jure Gentium acquirendi, omnibus omnino hominibus concessa. *dd. ll.* Hæc ex jure Appulsus occupatio, solis iis competit, quorum ratione imperii sunt littora 2. *Objecto*: Occupatio naturalis omnes omnino res, quæ sunt nullius, acquirit *dd. ll. & l. 7. §. 3. de A. R. D.* Occupatio verò ex jure appulsus sola adjecta naufragia tribuit. 3. *Causa*: Naturalis occupatio, ex naturali ratione, omnibus innatâ, originem ducit, *d. §. 12. & l. 3. pr. de A. R. D.* Altera quam Jus Appulsus tribuit, contra naturalem rationem, solis moribus est inducta, de quâ non immeritò accineres illud Oratoris Illionei, apud Virgilium *lib. 1. divini operis.*

*Quod genus hoc hominum, quemve hæc tam barbara morem  
Permittit patria? Hospitio prohibemur arena?  
Bella cient, primaque vetant consistere terra.*

B 2

XVIII.

## XVIII.

Cæterum cum occupationis vox, notante Vallâ, propriè significet id, quod in commune, sive in medium positum erat, ante alios capere, ejus etiam acceptionem latam esse apparet. Unde & in jure nostro, is quoque, qui prior litem contestatur, eam occupare dicitur *l. 32. ff. de Procurat. l. 14. ff. de Noxal. act. l. 10. ff. de Re Jud. l. 9. ff. de V. O. & occupando possessionem apprehendimus rei. l. 11. C. Unde vi.* Dominium acquirimus, *d. §. 12. Inst. de R. D. & d. l. 3. de A. R. D.* fiscus quoque bona, in quæ manum injicit, quæque, ut sibi quæsitæ, vel obligata, apprehendit, occupare dicitur, *l. 2. ff. de Requir. vel absent. l. 1. C. de Donat. int. vir. & ux.* Atque hoc modo potissimum vox *occupandi* in definitione Juris Appulsus est accipienda. Nec enim occupando tam acquirit, quam appulsus jure sibi obligata possidere incipit. *arg. l. 3. §. 1. & §. 3. ff. de Acq. poss.* Quamvis alii nullius appulsa manere, solam verò illa occupandi & sua faciendi potestatem, ex jure appulsus soli Principi, & terrarum domino competere opinentur. Secundum quorum sententiam tamen appulsa, etiam ante occupationem, quâ dominium, ut aliarum rerum, quæ nullius sunt, acquiritur, obligata saltem fisco dici possunt. Finis ergo hujus juris est acquisitio, & ut fiscus Principis augeatur, cum hujus sit favorabilis causâ in multis juris articulis.

## CAP. V.

## DE CAUSA INSTRUMENTALI JURIS APPULSUS, EJUSVE SUBJECTO.

## XIX.

CONSVETUDINE dicitur Jus Appulsus INDUCTUM. Quia publicâ constitutione ab ullo sancitum fuisse populo, nullibi proditum deprehendimus, quamvis sint, qui Rhodiensium legibus hoc Jus cautum fuisse velint, atque ideo, ne illi, quorum jacturâ reliquorum res servatæ fuissent, soli damna suarum rerum, vel ex submersione, vel si ad littora appellerent, ex occupatione accolarum aut Principum lugerent, contributionem reliquis, qui illæsi cum rebus evasissent, imposuisse. *t. t. ff. d. E. Rhod. de Jact.* Verum conjecturis niti opinionem minus probabilem, nec ex *l. 9. ff. d. t. juvari thes. 7.* superiùs ostendi. Sane si quid tale sanctione Rhodiensium aut Cyclades Insulas inhabitantium constitutum expressè fuisset, quo naufragia

fragia non nisi populo, cuius essent littora, occupare & habere lice-  
ret, Jus illud civile Rhodiensium, aut cuius alterius populi, non con-  
suetudo gentium fuisset. *arg. §. 1. & 2. J. de Jur. Nat. Gent. & Civ.*  
Inde autem per plures gentes serpens & moribus receptum, non  
incommode Jus, quarundam gentium consuetudine inductum, dici  
potest; Cum aliàs Jus Gentium absolute dictum, ratione magis na-  
turali inter omnes homines, tum communis utilitatis adjuvandæ  
causâ, tum communis necessitatis sublevandæ gratiâ, sit constitutum  
*d. §. 1. & §. 2. l. 1. §. 4. ff. de Just. & Jur.* quàm ut consuetudine inter  
quasdam Gentes inductum dici possit, quippe consuetudo juris  
civilis, non gentium naturam imitatur. *arg. l. 31. §. 2. l. 35. ff. d. LL.*

XX.

Unde etiam Jus Appulsus quarundam gentium Jus dixi, re-  
spectu saltem subjecti sui, quod in illo appulsus jure pariter ac  
in omni jure gentium, sunt plures gentes, eodem jure utentes, si-  
ve ex ratione naturali utantur, ut in vero gentium jure, siue con-  
suetudine aliquod Jus communiter receperint aut induxerint;  
Quomodo nostrum Jus civile, quatenus à Germanis, Italis, Gallis,  
Hispanis, Anglis, Danis, Svecis, Batavis, aliisve gentibus com-  
muni receptum est consuetudine, communiter doceri consuevit,  
gentium Jus dici potest. Quomodo etiam Jus Appulsus, dum  
consuetudine inter plures gentes invaluit, gentium dictum fuit.  
unde etiam consuetudinis mentio in definitione juris appulsus fa-  
cienda fuit, ut & medium constituendi hujus juris, & simul sub-  
jectum ejus, unde nomen habet, apertius cognosceretur.

CAP. VI.

DE INJUSTITIA ET INIQUITATE JURIS  
APPULSUS.

XXI.

**P**LUS QUAM BARBARA dicitur consuetudo naufragia occupan-  
di, & naufragis eripiendi, quia ratio justitiæ aut æquitatis nulla  
huic inest consuetudini, quippe quæ omni juri directò contrariatur,  
neminemque in conscientiâ tranquillum reddere potest. Petr.

B 3

Rebuffi

Rebuff. *in pref. ad L. Regias Gloss. 5. n. 47.* Jure namque naturali, quod recto rationis dictamine constat, ob cognationem, quam ipsa inter homines natura constituit, hominem homini insidiari, uti hâc fit consuetudine, nefas est, *l. 3. ff. de Just. & Jur.* Natura virtutum homini implantavit semina, ad eas nasci hominem & fieri voluit. *Arist. l. 2. Eth. c. 1.* Omnes verò virtutes uno quasi impetu & impedit & subvertit, naufragia rapiendi & occupandi consuetudo. *Fortitudinis sane & temperantiæ* obscuratur gloria, dum foeda lucri cupido homini ejusve rationi dominatur. *Liberalitatis & magnificentiae* splendor, non obscuratur solum, sed prorsus extinguitur; adeo namque liberalitate non succuritur egeno, ut paupertatis ultimæ etiam eripiantur reliquiæ. *Magnanimitatis & modestiæ* decus, non ultimis dedecoratur partibus. Quis namque Princeps, quis populus dignos rectè tueri poterit honores, gloriamque societatis gentium servare, qui honestam gentium deserens vivendi rationem, ad turpem miseris diripiendi morem recedit? *Mansuetudinis quoque & magis misericordiæ* humanæ omnes omninò evelluntur radices, ut nec sensus humanitatis, nec imago aliqua rationis remansisse videri possit in iis, qui appulsus jura dicto modo exercent. Armatur namq; in eos ira manusq; qui omnem poterant tranquillare iracundiam, quorumq; & misericordiâ dignus erat status, & miseria ipsos etiam ursos & leones moveret? *Mare sanè rapidum & immania sæpè movet elementa.* *Justitiæ tandem & æquitatis naturalis* adeo nulla in hoc jure habetur ratio, ut centrum aut concursus omnis injustitiæ & iniquitatis, jure merito ve dici queat. Nec enim hic jus cuique suum tribuitur, sed eripitur: Non fertur hic auxilium ei, cui debebatur, sed quod debebatur, adimitur: Non liberantur onere, qui liber esse debebat, sed ei imponitur, quod ferre non potest: Non affligitur, qui promeritus quid fuerat, sed qui nihil admisit, pœnam sustinet: Et innocentia, quæ dejecta sublevari debebat, magis suppressitur. Denique ex alienâ miseriâ foeda lucrandi cupido pietatem, justitiam, æquitatem, omnemque humanitatis rationem, in triumphum abducit.

XXII.

Unde rectè Cassiodorus *lib. 4. var. 7.* *Crudelitatis inquit, genus est ultra naufragium velle deservire, & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam immania elementa dedisse probantur.* Et graviter in præcipientem illam publicationem rerum ad littus ejectarum *lib. 1. de Republ.*

c. 10.

c. 10. invehitur Bodinus. Barbarum id quidem, inquit, & antiquis inu-  
sitatum, ut cujus opes ac fortuna naufragio miserè perierint, & quem nostris  
opibus sublevare debebamus, ejus reliquias, quas ad littus ejectas bonà fide  
restitui oportebat, turpe diripi patiamur. Sic tamen vivitur, ut qui portus  
habent, eam crudelitatem tum in cives, tum in peregrinos exequantur. Jus  
queris? Error jus facit. At si non peccatur errore sed scientia, scelus est,  
quod erroris specie prætenditur.

### XXIII.

Quàm vera quoque Gentium jura à barbaro isto abhorreant  
acquirendi more, ipsum quod prosternitur juris gentium fundamen-  
tum, sufficienter comprobat. Jus enim gentium communis homi-  
num usus, communesque humanarum societatum necessitates, se-  
cundum rationem, introduxerunt; pessimum verò huncce morem,  
non usus, non necessitas, sed nefanda induxit compendii & lucri  
cupido, reclamante ratione, & omni humanitatis repugnante sensu.  
Unde laudabilis vox Grotii est l. 2. c. 7. n. 1. d. J. B. & P. Lex, in-  
quiens, quæ bona naufragorum fisco addicit, injusta est. Nullâ enim causâ præ-  
cedente probabili, dominium alicui suum auferre, mera injuria est. Et, ex  
hominis incommodo suum augere commodum, contra naturam esse  
Tullius ait 3. de Offic.

### XXIV.

Civilia Romanorum si audiamus jura, quàm hæc turpissimum  
& inhumanum illum lucrandi morem semper profigârunt! Antonini  
namque, ejusve patris legibus, unicuique impune naufragium suum  
colligere licuisse, testis est Ulpianus in l. ult. ff. de Incend. ruin. naufr.  
Et Constantini seu potius Antonini in hæc verba extat constitutio:  
Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam  
terram attigerit, ad dominos pertineat, fiscus meus sese non interponat.  
Quod enim jus habet fiscus in alienâ calamitate, ut de re tam luctuosâ com-  
pendium sebetur? l. 1. C. d. Naufrag. Et consonat veteris juris ana-  
logia, quâ nec ea, quæ propter tempestatem ejecta sunt, fisco ce-  
dunt. l. 43. §. pen. ff. de Furt. & submersa navi merces per uri-  
natores extractas dominorum manere, testatur Callistratus l. 4.  
§. 1. ff. b. t.

### XXV.

Extant Romano Germanici Imperii nostri constitutiones, alte-  
ra à Friderico II. edita, in auth. Navigia. C. de Furt. altera Impera-  
tore:



töre Carolo V. promulgata in Const. Crim. art. 218. quo omnes irrationabiles consuetudines, & inter illas quoque hæc de Appullus Jure perpetuò improbantur. Desgleichen an vielen Enden der Mißbrauch/So ein Schiffmann mit seinem Schiff verfährt/ Schiff-brüchig würde / daß er alsdann der Obrigkeit dessen Orths / mit Schiff / Leib / und Güter verfallen seyn soll &c. Die und dergleichen Gewonheiten wollen wir / daß eine iede Obrigkeit abschaffen / und daran seyn soll / damit sie hinfürder nicht geübt / gebraucht / oder gehalten werden. Als wir dann aus Käyserlicher Macht dieselbe hiermit aufheben / damit vernichtigen / und abthun / und hinfürder nicht eingeführet werden sollen. Idem habetur de Jure Saxonix in text. addit. & gloss. ad art. 29. lib. 2. Landrecht.

XXVI.

Danix Regni constitutio similis est in lib. 3. Jur. Dan. c. 63. Si naufragium passi in terram vivi evadant, à bonis eorum omnes ac singuli, siue sint ipsi Præfecti, siue alii abstinebunt: quamdiu ipsi naufragi, aut propriâ industriâ, aut per alios conductos, voracitati maris bona eripere valeant. Nec ipse Præfectus, aut inferior Magistratus audebit prohibere, aut impedire eos, ne conducant omnes, qui operam suam, in servandis bonis, locare velint. Sin verò per veraces testes probetur, Præfectum vel ipsum, aut per ministros quendam iis surripuisse, antequam naufragi desperatâ liberatione bona relinquunt, aut occupanti concedant, aut auxilium conductorum adjutorum inhibuisse: Is Præfecturâ deturbatus, omnia surrepta restituat; subjunctâ aliarum pœnarum determinatione, privatas publicasque personas hujus injuriæ participes cobibentium.

XXVII.

Belgarum quoque novissimis constitutionibus bona naufragorum fisco non cedunt, nisi ea intra annum & sex septimanas Domini vindicare neglexerint. Const. Caroli Burg. 1. Jan. 1469. Privileg. Mariae Ducis Burg. 14. Mart. 1476. Placit. 10. Mart. 1522. § 13. Sept. 1549. quod sæpè renovatum est, & quidem Anno 1620. 25. Aprilis & à Curia Hollandiæ ult. Octobr. 1626. Quemadmodum etiam jure civili sancitum videmus, quod navicularius naufragium debeat intra annum probare, l. 2. C. de Naufr. quod quæstio de naufragio debeat levato velo terminari. l. 5. eod. vid. Perez. v. 29. § seqq. C. de Naufrag. Cyp. notit. Jur. Belg. lib. 10. Vinn. §. ult. Inst. de Res. Div. n. 4.

XXVIII.

## XXVIII.

Juri quoque Canonico, barbarum illum adversari morem, ex c. 3. X. de Raptor. videri est, ubi Romani Pontifices ita eundem damnarunt, ut nec consuetudine firmari, nec nomen rationabilis moris habere siverint, gravissimâ excommunicationis pœnâ transgressoribus indictâ.

## XXIX.

Divino denique directò obviare juri, ex illis apparet præceptis, quæ proximo amorem, miseris auxilium, tristibus solatium cuique suum, præstari, & quod sibi quisque fieri voluerit, id facere alii, seriò & sub gravissimâ, tum temporalium, tum æternarum pœnarum comminatione, omnibus omninò hominibus imponunt.

## CAP. VII.

## REFUTATIO EORUM, QUÆ PRO JUSTITIA JURIS APPULSUS AFFERRI SOLENT.

## XXX.

Cum ergò adeò divinis pariter ac humanis legibus, & omni omninò juri justitiæque, barbarum illud appulsus jus repugnet, quid de illorum temerario sentiendum sit ausu, patet, qui eo impietatis processerunt, ut tam maledictam morum corruptelam, non admittere solùm, sed & defendere seriò tentarunt? Labet tamen paucis illorum Iustrare umbras, quibus rationum instar utuntur, & divinam pariter ac humanam obumbrare veritatem, nec non, Deo ac conscientia oblatrando, negotium faceffere impiè conantur.

## XXXI.

Primum, quod prætendunt, hoc est. Quod Principes, Imperiù jure, littora teneant, eaque & tuendi & defendendi curam gerant, navigantibusque securitatem præstent, adeoque æquum sit, ut inde etiam aliquod lucrum percipiant, vid. Knich. c. 5. n. 138. de Saxon. non prov. jur. O miserandam rationem! Principes jure imperii littora tenent, ergo licitè, contra omnia jura, naufragorum bona diripere possunt!

C

Jure

Jure Domini quisque suos tenet fundos, non tamen inde, si quid alieni, ex casu ruinae, aut incendii, aut tempestatis, injectum fuerit, id diripere & occupare potest. Consequentia ergo ab angulo & baculo ad pluviam procedit. Nec cura tanta est littorum, ut miseris insultandi jus inde nascatur, imò ideò curam gerunt, ideo navigantibus securitatem præstant, ideò Principes sunt, ut calamitosis potissimum & pressis succurrant subditis: ut infeliciter navigantibus, ut naufragis, quibus maximè littorum usus est necessarius, securitatem præstent, eorumque naufragia littoribus recepta, suo defendant imperio, opemque, quam nemo præstare potest majorem, præstent maximam. Quid enim juris in alienam calamitatem deserviendi, & exire tam luctuosâ compendium faciendi habet fiscus? *l. i. C. de Naufr.*

### XXXII.

Secundum, quo utuntur, fundamentum, hoc est. Esse nempe hæc talia naufragorum bona ἀδέσποτα, dominum non habentia, adeoque Principibus meritò concedenda. Sed negatur fundamentum, quod scilicet hæc bona sint ἀδέσποτα. Quamvis enim naufragus vitam servare in naufragio contentus fuerit, non tamen sequitur, quia rerum curam habere non potuit, erga earum dominum amisit. Nec ideo, si ei bona servata fuerint, hæc ei eripere fas erit. Idem sanè de incendii casu contingere potest, ut flammam evadens, de omnibus suis desperet bonis, & vitam servare contentus sit; quis autem ideò dominium rerum amissum esse diceret, aut jus tribueret Principi, erepta & liberata ex incendio, occupandi & calamitoso eripiendi? Non ergo, cum quæritur, an quis animum domini deposuerit, quid in spe aut desperatione de rebus suis retinendis, sed quid in voto & animo retinendi fuerit, attendi debet. Nam & qui res suas furto amisit, spem recuperandi dimisit, non tamen ideò furtivæ res Principi aut acquirenti cedunt *Const. Cr. art. 218.* quia votum & animum habendi non deposuit Dominus *facit l. ii ff. de R. J. ubi sine facto nostro rem nostram non amittimus.* Unde Pomponius, quem Ulpianus refert, & sequitur in *l. 44. vers. idem ait ff. de A. R. D.* generaliter assentit, naufragio amissa non statim nostra esse desinere: denique quadruplo teneri eum, qui rapuit.

### XXXIII.

De Jactis quidem, & postmodum in littus ejectis, sive appul-  
sis,



sis, expeditius occupandi Jus esse, alii putant; quia verè præcedat animus ejusmodi res non habendi, ex facto apparens, nempe ex ipso jactu. Unde has res pro derelicto haberi, & populo vel Principi jure littorum cedere, contra conscientiae stimulum affirmant, & rem declarant inde, quod dejicientes. 1. Sciant recuperationem non nisi difficillimam esse, vel de eâ planè dubitari posse. 2. Quod easdem res, quas projiciunt, recuperatione non habeant dignas, cum eæ projici soleant, quæ maximi ponderis, & minimi sunt pretii. 3. Quod animi accedat judicium, deliberatum consilium, & factum projectionis proprium domini. 4. Quod earum rerum jactu vitam redemerit, & carere iisdem maluerit. Verùm in speciem omnia dicuntur, & veritatem, quam obfuscant, non habent. Cum enim projectionis mixta sit actio, spontanea partim, partim invita, & spontanea quidem, quatenus in salutem tendit Domini, qui vitam eatenus servare potuit, invita verò quoad dominii amissionem, & quatenus in damnum vergit; apertò constat, ejectionem, quatenus servari & retineri, aut recuperari poterunt, naturaliter dominum, animum dominii non abjecisse, sed quicquid egit, ratione amissionis rerum suarum, invitè egisse, nec ideo ejectionem in damnum & amissionem dominii, ullo jure imputari posse aut debere. Nec enim patiuntur jura, ut actus ultra intentionem agentium operentur, aut contra intentionem, in præjudicium agentium accipiantur. Nam nec vitæ conservandæ intuitu, ita simpliciter ejiciuntur res, ut prorsus habere dominus aut recuperare nolit, sed ut in navi saltim cum periculo vitæ retinere nolit, & ejicere potius, ac de eis solis, quàm simul de vitâ periclitari malit, cum spes adhuc sit, ut supernatando & alluendo, aut motu fluctuum è fundo iterum emergendo, serventur ejecta: quo casu, res suas habendi & recipiendi animum, nemo naufragus deponit. Enimverò si quem ejicientem interroga- veris: Anne ita res suas ejiciat, ut quamvis has in littore invenire & recuperare possit, tamen habere nolit? Domitiana, sine dubio respondebit, hæc quæstio est. Ejicio, ne navim deprimant, & vitæ augeant periculum; non ejicio, quod habere, aut in littus ejectas recuperare nolim. Hinc si evadant periculum, qui jacturam fecerunt, non littora saltem, sed & tranquillati maris faciem

anxiè circumspicere solent, anne jactarum rerum aliquid emerferit, aut ejectum in littus fuerit, quod recuperare queant; quam non tam anxie haberent curam, si omnem habendi & recuperandi animum, ejiciendo deposuissent.

XXXIV.

Hinc optime Julianus in l. 8. ff. d. L. Rhod. Qui, ait, levandæ navis gratia res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant; quippe si invenerint, eas abluros, & si suspicati fuerint, in quem locum ejectæ sunt, requisituros: ut perinde sint, ac si quis onere pressus, in viam rem abjecerit, mox cum aliis reversurus, ut eandem auferret. Et Gajus in l. 9. §. ult. ff. d. A. R. D. Cujus verbis Justinianus noster Justinianus usus, res jactas pro derelictis occupari, sine furti vitio non posse, in §. ult. J. de Rer. Div. decidit. Quæ in tempestate, iniquiens, levandæ navis causâ ejiciuntur, dominorum permanent, quia palam est, eas res non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quomagis, cum ipsa navi, maris periculum effugiat, & consonat sententia Pauli in l. 2. §. f. ff. de L. Rhod.

XXXV.

Et denique quamvis tum, in periculo vitæ constituti, animum prorsus non habuissent recuperandi ejecta, nulla tamen hæc esset ratio, cur illud, quod mare reddidit, quod littus recepit, non possint recuperare, qui amiserunt; & iniquum prorsus est, eorum occupationem illi concedere, qui nullo jure ea habere aut occupare potest. Et quamvis jure aliquo habere posset occupans, naturali tamen ratione justius est, ut rem suam quisque amissam recuperet, quam ut eam, qui nunquam habuit, acquirat, & amittenti recuperandi jus & potestas eripiatur. arg. l. ult. §. pen. ff. d. Publ. in rem act. §. l. 31. §. 1. ff. deposit. Ubi Tryphoninus egregie admodum, in hæc verba scribit: Et probo hanc esse justitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justioræ repetitione.

XXXVI.

Hic non repugnat l. 43. §. II. ff. de Furt. ubi cum quæreret Ulpianus: An, si jactum ex nave factum alius tulerit, furti teneatur quoad ejecta? distinguit: an derelipientis animo sit jactatum, an hoc, ut si salvum fuerit, haberet. Et addit Ulpianus, plerumque derelipientis animo jactum fieri, cum sciat perituum. Ex quo

quo consequens est, si appellant ejusmodi res, jure littorum licet posse occupari. Sed uti ista verba *Cum sciat periturum*, in disputatione meâ, de L. Rhodiâ, cum Hahnio ad ejusmodi res translata, quæ vim aquæ ferre nequeunt, ut sunt sal, saccharum, alumen, charta & similia, quæ liquefcunt & dissolvuntur humore; ita in eâ acceptione quidem subsistere, inque iis distinctionem Ulpiani & hâc locô admittere possum. Quamvis nec absurda sit illorum sententia, qui jactum in spontaneum & necessarium distinguunt, in illô, voluntariô nempe, porrò distinguendum censent: an dereliquentis animo jacta fuerint, nec ne; in necessario verò nunquam derelinquendi animum admittunt, secundum ea, quæ in præcedentibus sunt dicta. Nam & navigantibus notum est, sæpè contingere, ut, saltim ne vacua transmittantur, & magis oneris habendi, quàm lucri faciendi gratiâ, vilioribus quibuscunque rebus onerentur navigia: quô casu, ut per tranquilliora maria, eò velocius remis aut velis agantur, sæpè commoditatis majoris, non necessitatis gratiâ ejiciuntur recepta onera: quæ si prorsus contempserit dominus, derelinquendi animo jactasse, & occupantis fieri, dicendum est. Plerumque autem dereliquentis animus eò casu adest, cum sciant res perituras esse, & tamen nullâ cogente necessitate; sed solâ meliore navigandi movente commoditate, projiciant. Talis ergo jactus, tanquam spontaneus merito dereliquentis animo factus dicitur. Quod si tamen recuperandi spes in facili, nec res statim peritura fuerit, dereliquentis ne tunc quidem animo jactus factus esse præsumitur, uti ex contrario sensu verborum in *d. l. 43. §. II.* planum est.

XXXVII.

Non ergo contra jactantem, sed pro eo militat Ulpianus, etiam extra necessitatem jacta, si non peritura fuerint, jactanti restituens, & occupandi jus impediens; cum tamen & hâc casu dereliquentis animus, ex spontaneo jactu, non difficulter induci aut præsumi possit. In naufragii verò periculo, omnia amissa domini manere, ex Pomponiô Ulpianus hic noster expressè asserit in *l. 44. d. Acq. R. D. vers. Idem ait.* adeòque ne latum unguem à reliquorum Jctorum sententiâ, quorum in præcedenti thesi 34. verba adduxi, recedit; sed quem illi non tractaverunt, extra periculum facti jactus casum, in *d. l. 43. §. III. d. Furt.* distinctione decidit.

## XXXVIII.

Nec parum errant, qui ad Regalia illud sic dictum Jus referunt. Nec enim Regalia Principis, in iis, quæ ratione & æquitate carent, fundantur: & si evolvamus penitiùs naturam Regalium, eorumque distinctionem usitatam, in Majora & Minora, neque Majoribus, neque Minoribus illud Jus annumerari posse deprehendemus; Non majoribus, quæ sunt ipsa jura Majestatis, vel secundum Magnif. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Feud. c. 6. thes. 13. n. 4.* vocantur illa jura, quæ gubernationem & statum ipsam Reipublicæ concernunt, in eorum autem numero appulsus Jus non est, ut facile patet: Non minoribus, licet enim aliàs sic definiantur, quod sint commoda & emolumenta, quæ ex bonis publicis aut aliàs ratione Imperii aut territorii ab Imperatore aut Principibus percipiuntur. Dn. Struv. *d. l. n. 5.* lucra tamen licita tantùm comprehendunt, quæ fisco jure percipere potest. Constantinus autem Imperator, vel, ut alii volunt, Antoninus, negat fisco esse jus ejusmodi lucrum, ex re tam luctuosâ capiendi. *l. 1. C. d. Naufrag.* Nec ulla consuetudo tale jus inducere potest. *N. 134. c. 1.*

## XXXIX.

Quod alii verò confugiant ad potestatem Principis, quâ potest lege decernere, quid in posterum servari velit vel nolit, & consuetudinem, vim legis habentem, inducere, mirum est. Habet quidem Princeps legem ferendi potestatem, & subditi sunt astricti legibus ejus vivere, & omnes, qui eo veniunt, in leges illas tacite consentiunt. Sed illa potestas non eousque se extendit, ut & leges injustas ferre, aliorumque bona sine justâ causâ fisco addicere possit; sed in officio boni Principis concessa illâ terminatur potestas: quæ si ad iniquarum legum sanctiones procedat, rem illicitam licitam non facit, & ipsæ sanctiones ex objecto suo illicito vitiantur. Unde Ludovicus Dunte, in casibus conscientiæ *tit. von der weltlichen Obrigkeit / c. 19. n. 2. & seqq.* Quædam, inquit, leges positivæ statuunt, talia bona ex naufragio, justè occupari, sed conscientiam non tranquillunt; conscientia enim non subjicitur foro humano, sed Deo & naturæ. Injustitia est maxime sæva & crudelis, spoliare spoliatos, & miserorum augere miseriam. *Conf. l. 15. ff. de condit. Instit.*

& *dict. N. 134. c. 1.*

CAP.

CAP. VIII.  
DE HODIERNA JURIS APPULSUS  
OBSERVANTIA.

XL.

**ET NON NULLIBI RETENTUM.** Difficulus admodum, naufragia invadendi abrogatum esse morem, nec ubique terrarum unò eodemque sublaturum fuisse tempore, variarum terrarum & regionum constitutiones & jura ei opposita probant, quæ à thesi 24. ad thesin usque 29. proposui. Quod hodie multis adhuc locis dictum appulsus Jus obtineat, testatur Hahnus *ad Wesenb. tit. d. L. Rhod. n. 5.* Quamvis, inquit, in Ostfrisia & Holfatiâ receptum, ut ejus sint res naufragorum, in cujus territorio appulsæ, eademque simili consuetudine Sicilia, Angliæ, & Italiæ inter Regalia referantur &c. Vinnius *ad §. f. I. d. R. D.* adhuc à Principibus ferè omnibus mari accolis, naufragorum bona occupari, & fisco vindicari putat. Et Dn. Böckm. *ad d. t. d. L. Rhod.* præter nominata loca, & in Galliâ, Hispaniâ aliisque plurimis locis illam vigere consuetudinem, multorum auctoritate inductus existimat. Adde à Schottelio *tr. de sing. antiq. jur. c. 20. n. 6. in fine allegatos*, & quæ habet Marquard. *de jur. Mercat. lib. 2. c. 4. num. 10.* Stypman. *de jur. Marit. & naufrag. p. 5. c. 5.* Quamvis non facile credam ejusmodi testimoniis, quæ notam optimis inurunt principibus, quibus, quod impia sæpè subditorum tentat avaritia & prætenso more liberiùs peccat, tanquam consciis & comprobantibus imputatur; cum & facta, & quæ obtenduntur jura ignorent, nec unquam probent. Quemadmodum de Hispaniâ, Angliâ atq; Sicilia contrarium testatur Kuricke *de jure marit. Hanseat. p. m. 215. & seqq.* Et in Gallia ea saltem bona, quæ tanquam ἀδέσποτα oberrant, & incertum habent dominum, Provinciarum Dominos occupare & sibi vindicare notat Guil. Benedict. *in c. Raynutius. verb. Et Uxorem n. 9. 35. d. Testam. Speckh. cent. 3. quest. 45. à princ. num. 1.* At si nemo appulsorum inveniatur dominus, ea vindicans, sine injuriâ fisco tribuuntur, uti capite sequenti constabit: In Ostfrisia quoque in totum non exerceri jus appulsus, sed tertiam restitui partem, tertiam nomine præmii salvationis, accolis maris, tertiam solam fisco cedere, audivisse memini. Principes verò Megapolitanos sanctimoniam Juris

C.

Civilis inherere, & in totum à naufragiorum compendiis abstinere, relatum accepi.

XLI.

PUBLICIS TAMEN IMPERII CONSTITUTIONIBUS IMPROBATUM ET ABROGATUM. Harum quidem constitutionum, th. 24. & seq. mentio facta est, quarum Choream ducit Constantinus in *l. 1. C. de Naufrag.* quem secutus est Fridericus in *Auth. Navigia C. d. Furt.* Eumque Carolus V. in *art. 218. Const. Crim.* Quas & observantia Imperii sequitur. Quod si enim parte aliquâ terrarum Romano-Germanico subjectarum Imperio, de facto naufragorum bona, sub specie juris fisci, commissi, littorum, Imperii, territorii, aut alio quovis nomine insigniti occupentur, mandata sine clausulâ restitutoria decernuntur. Cujus rei præjudicium in causâ Hamburg contra Duces Holsatiæ, habet *Gail. 1. Obs. 18. n. 6.* Similiter in causâ civitatis Lubecensis, contra Comitem Oldenburgensem, & in causâ civitatis Bremensis, contra eundem Comitem, pronunciatum esse refert *Sixtin. de Regal. l. 2. c. 3. n. 95.* Ut sibi imputare debeant domini naufragiorum, si errepata vindicare negligant, cum supremum Germaniæ Imperium & Judicium, protinus succurrat, & restitui ablata, sine clausulâ jubeat. *P. Fr. Mindan. de mand. l. 2. c. 57. n. 1.*

CAP. XI.

QUIBUS CASIBUS JUS APPULSUS LICITUM SIT, ET RETINERI POSSIT.

XLII.

Id reliquum est, ut, quæ & quatenus appulsa occupari naufragia, & fisco addici possint, inquiratur. Et Fridericus quidem Imperator in *auth. Navigia C. d. Furt.* Jus appulsus admittit, ut nempe impunè bona naufragorum fisco vel privato addicere liceat, si sint navigiâ piratarum, aut hostium Imperii Romani; vel etiam Christiani nominis hostes naufragium fecerint. vid. *Kuric. d. tr. p. 208. Klock. de Ærar. p. 940.* Cum enim hostes, piratæ, latrones, occidi impunè possint, *l. 3. §. f. ad L. Corn. d. Sicar. l. 2. C. quand. lic. unic. fin. jud. & ibi Bartol. l. 1. §. Non fuit ff. de dol. mal.* Quantò magis poterunt istorum  
naves

naves vel bona licite occupari. Richt. *ad Auth. Navigia. C. de Furt. n. 13.*  
Et frustra Barbaros implorare misericordiam, qui hoc humanitatis  
jure erga Christianos non utantur, inquit Gryphiand. *ap. Fritsch. p.*  
*n. 892. n. 228.* & addit, jure talionis hoc fieri, allegans locum *Judic.*  
*15. v. 11. & Levit. 24. v. 19.*

#### XLIII.

Quæri autem solet, quid hoc naufragii casu, de bonis recupera-  
tis dicendum sit, quæ inter naufragia piratarum occupantur, an jure  
appulsus occupanti, aut fisco cedant, an ad veteres dominos rever-  
tantur? Et cum Grotio *l. 3. de Jur. B. & P. n. 16.* affirmandum erit  
posterius. Jus enim Gentium non concedit, ut latrones aut piratæ  
dominium mutent, unde res ab iis ereptæ non opus habent postlimi-  
nio, ut Ulpianus & Javolenus responderunt *in l. 24. & 27. ff. de Captiv.*  
*junct. l. 19. §. 2. eod.* Res ergo ab illis captæ, ubicunque reperiuntur,  
vindicare poterunt. Alber. Gentil. *Advocat. Hispan. l. 1. c. 12. & 15.*  
Richt. *d. l. n. 16.*

#### XLIV.

Illud non possum non monere, quod de hostibus Imperii &  
Christiani nominis dictum est, quod illorum licite occupentur nau-  
fragia, de iis intelligendum esse, quatenus hostes sunt, & quatenus  
jure talionis bona eis eripiuntur, & misericordia denegatur. Extra  
hunc verò casum, tale quid in eos admitti non potest, cum homines  
sint, & eodem nobiscum humanitatis jure gaudeant *l. 3. ff. de I. & I.*  
quò eos privare barbarum & impium est.

#### XLV.

Secundò admitti potest naufragiorum compendium, si ex certi  
temporis præscriptione, pro nullis, ob negligentiam dominorum  
non inquirentium, publicè haberi cœperint. Interest enim Rei-  
publicæ, ne rerum dominia sint incerta, & eorum inextricabiles vi-  
vant lites & immortales; unde etiam usucapionum necessariò determi-  
nari cœperunt tempora. *l. 1. ff. de Usuc.* Similiter ergo in naufragiis, cer-  
tum publicâ auctoritate præscribi potest tempus, quo littori adjecta  
persequantur domini, & præstito salvationis pretio vindicent, si sua esse  
legitimis indiciis probare possint ( de quibus probationibus vide  
Peck. *p. 394.* & Vinn, *in not. ad eundem lit. A.* item Joseph. Mascard.  
*de probat. vol. 1. concl. 273. p. 172. & vol. 2. concl. 1090. p. m. 331.*) Quod si  
eo tempore non veniat dominus, ut tum aut inventori, aut fisco

D

ce-

cedant, aut inter utrumque dividantur, nec enim ab æquitatis norma alienum esse dicit Loccen. *de jur. marit. p. m. 77.* si, dominò intra annum non veniente, res inventæ inter fiscum & inventorem dividantur, ita ut fiscus duas, inventor unicam partem capiat.

XLVI.

Hoc ergo modo, si publicè tempus inquirendi naufragia, dominis præstituta fuerint, rectè, eò exactò, fisco aut occupanti addici possunt, & appulsus Jus exerceri. Quomodo placito Ordinum Hollandiæ **von den Seedriffen**/suas cuique res ruptas perditasque repetere licet, modo id fiat intra annum & sex septimanas, impensæque refundantur, quæ fortè factæ sunt, ab harum rerum susceptoribus. Hoc tempore elapso publicantur, & fisco acquisitæ esse intelliguntur. Vinn. *comm. Inst. ad §. ult. J. de R. D. n. 5.* Böckelm. *Comm. ffrum. ad tit. de Lege Rbud. in fin.* Rationem ejus Loccenius dictò locò affert, quod post id tempus publicè constitutum, dominus animum dominii deposuisse, & res pro derelicto jure censerit possit. *arg. l. 43. §. 5. ff. de Furt. l. 1. § 2. ff. pro derel.* Atque ita jure Jutico, Scanico, Danico, Norvegico, Prussico & similibus, Jus naufragia occupandi receptum fatetur.

XLVII

Præterea justè appulsa occupantur, si extra necessitatem derelinquendi animò jacta esse constet. *l. 43. §. 5. § 11. ff. de Furt. confer tb. 36.* Nam & eo casu jura unicuique tribuunt occupandi facultatem, tanquam rerum aliarum, quæ jacentia in litore, nullius sunt. *d. §. 5. § 11. § 18. J. de R. D.* Licitè ergo ejusmodi bona fisco hodiè applicantur, cujus emolumento & in litore inventa cedunt. Nec enim dominus derelinquens aliquid juris retinuit, ob quod naturaliter astringeretur possidens, facere, quantum in se est, ut res ad priorem Dominum perveniant.

XLVIII.

Denique si in navigatione illicita, quæ nempe ob certam & justam causam, sub pœnâ hâc confiscationis naufragiorum prohibita erat, naufragium fit, licitè, tanquam commissa fisco, bona appulsa occupantur. Quia sibi imputare debet naufragus damnum confiscationis, nec queri poterit, cum meriti pœnam sustineat, nec illud damnum sentire jure videatur. *l. 203. de R. J.* Ubi tamen ignorantia legis quælibet, & qualiscunque, à pœna hâc confiscationis, tanquam maximè odiosâ excusabit.

XLIX.



XLIX.

Illud generaliter de jure Appulsus, pro fundamento æquitatis & justitiæ notandum, nunquam naturali æquitatis ratione naufragiorum fieri posse compendium, nisi aut 1. derelicta à dominis fuerint. 2. Nisi quid naufragis aut dominis imputari possit, ob quod, aut jure pro derelicto esse cœperint naufragia, ut si in Hollandiâ intra annum Domini res non inquirant: aut in pœnam aut propter coercionem eripiantur, ut si piratarum, hostium, latronum & eorum, qui in periculum Reipublicæ, contra prohibitionem navigarunt, bona naufragio disjecta fisco addicantur.

L.

De Salvationis præmio paucis adhuc monendum. Dicitur etiam inventionis præmium. Kurick. p. 116. & 211. pretium receptionis Schottel. *intract. de sing. antiq. jur. c. 20. §. 10. vers. Solvitur p. 395.* Germanis *Bargegeld* vel *Bergegeld* / *Bergelohn* / vocatur à verbo *Bargen* / sive *Bergen* / unde est *verbergen* custodire, conservare, quomodo & *Bergegeld* ab adjectivo *geborgen* id est *verwahrt* dici consuevit. vid. *Stypm. dict. sapius tract. p. m. 259. n. 6. in f.* Quid ergo sit salvationis pretium, ex nomine apparet, nempe pecunia, sive illud omne, quod pro custodiâ & conservatione rerum naufragio amissarum, sive in periculo ejectarum, datur.

LI.

De hoc salvationis pretio sive præmio, quæri solet, an justè peti possit? Et Dd. hic variant, alii negativam, alii affirmativam amplectuntur sententiam. Quæstio omnis hæc in re potest optimè expediri hæc distinctione. An scilicet ille, qui pretium petit, impenderit aliquid ad salvationem rerum & earum custodiam, aut periculum subierit, uti urinatores vel alii, qui res ex mari extrahunt. An verò simpliciter tantùm invenerit, sine magno labore & sumptibus.

LII.

Priori casu æquitatis ratio suadet, ut fiat impensarum refusio, ne dum quis alteri succurrit, ipse occasione beneficii damnum patiat. *l. 7. ff. testam. quemad. aper. l. 61. §. 5. ff. d. Furt.* Et ipsorum navigantium interest, quoniam nemo auxilium ferret, nemo succurreret, si cum propriò incommodò damnoque id facere debe-

ret. Gryphiand. *de Insul. c. 31. n. 10. & seqq.* Gail. *l. O. 18.* Unde Kuricke *ad tit. 9. Jur. Hanseat. p. m. 211. post. med.* Etsi, inquit, crudele & impium sit, in naufragos eorumque bona, post naufragia, vel in ipso naufragio velle favere, nihilominus tamen, ubi bona & merces sunt servatæ, & ex mari in terram deductæ, æquitatis ratio postulat præmium salvationis, **Bergegeld**/ illis, qui suâ operâ & fide ea servarunt, dare, impensasque, si quas fecerunt refundere. Et hanc in rem legem Rhodiorum adducit, quâ juxta diversitatem profunditatis maris, plus minusve datum fuisse scribit, deque eo constitutionem Philippi II. Regis Hispaniæ adducit Schottel. *de sing. antiq. jur. c. 20. §. 10. vers. Hoc autem p. 395.* Et talia dari præmia publicè expedit, ut Insulani & alii accolæ, eâ spe ad ferendas suppetias invitentur. *arg. l. 1. §. 1. l. 3. §. f. de incend. ruin.* Plura vide apud Kuricke *de jur. mar. Hans. p. 216. & seqq.* Gail. *l. O. 18.* Gryph. *de Insul. c. 31. n. 10. & seqq.* Sixt. *de Regal. l. 2. c. 3. n. 95. & seqq.* Lather. *de Cens. l. 2. c. 11.* Stypm. *d. tr. part. ult. c. 5.* Loccen. *dict. tract. l. 1. c. 7.*

### LIII.

Posteriori casu non honestè petitur, *l. 43. §. 9. ff. de Furt.* cum humanitatis ratione, tale gratis præstare teneamur officium. *arg. l. 28. §. 1. C. de Episc. & Cler.* Et salvâ conscientiâ non possumus non præstare. Nam & natura, & lex divina, & fides charitasque Christiana exigunt, ut proximo nostro, ubicunque possumus, & præsertim in tanto periculo tantæque afflictione succurramus, idque sine spe alicujus lucri. Facit huc locus *Matth. 22. 39. & Matth. 7. 12.* Quamvis consuetudine locorum, ne ejusmodi inventa supprimantur, sed eò faciliùs recipiantur, ita ferè receptum sit, ut præmii loco inventori aliquid præstetur: Quomodo Hamburgensium statuto, in littore apprehensorum pars vigesima præmii loco inventori cedit, Kuricke. *p. 212. in. fine* Jure Lubecensi præmii determinatio, si nautæ servarint res in naufragio, conventioni partium relinquitur, quæ si convenire non possint, determinatio arbitrio *der Alterleute* in proximâ Hanscaticâ committitur. *lib. 6. tit. 3. art. 3. & 5.* De inventis verò post naufragium, aut littori aut navi adnatantibus vigesimam, ex fundo verò, aut longiùs & operosiùs ex mari depromptis & liberatis tertiam tribuit. *libro 6. tit. 3. art. 4.* Adde **Das Hanseatische See-Recht.**

LIV. VI.

LIV.

Vicina hinc facile deciditur quæstio. An Principes possint aliquod vectigal pro bonis naufragorum petere, quasi ob auxilium? Nempe cum innocuum sit hocce auxilium Principibus, & uti Valentin. & Marcianus Imperatores in *l. 12. §. 2. C. de SS. Eccles.* fatentur, ad Humanitatis eorum officium pertineat, prospicere & operam dare, ut miseris succurratur, merito tam luctuosum improbandum erit vectigal. *arg. l. 1. C. de Naufrag.*

LV.

Affinia Juris Appulsus & compendii naufragiorum, sunt direptiones rerum ex incendio & ruinâ liberatarum, quippe naufragii, incendii, & ruinæ casus in jure nostro comparantur, & rerum inde liberatarum par ratio est, & pari jure censentur, nec non pari privilegio gaudent. *l. 7. ff. de L. Rhod. l. 1. & tot. ff. de Incendio ruinâ & naufragio &c.*

LVI.

De contrario Juris Appulsus dicere supervacuum est; Ex dictis namque constat, ipsam æquitatem naturalem ei opponi. Jus namque Appulsus miseris, qui nihil admiserunt, suum eripit, afflictio afflictionem addit, innocentem punit. Huic autem oppositum est succurrere miseris, & sublevare calamitosos, suaque amittentibus restituere, quod ipsum ipsa æquitas est naturalis, quæ consequenter opposita est Juri Appulsus.

TANTUM!



## COROLLARIA

### I.

Ignorantia legis, in absentia ignorantis lata, ignoranti reverio nocere non potest: cum hujus ignorantia principium apud ignorantem non sit, adeoque tanquam voluntatem antecedens & invincibilis, jure naturæ ac civili excusat.

### II.

Nec Universalis, nec Particularis, in vulgari oppositione sic dicta Justitia, est finis Jurisprudentiæ.

### III.

Maris & Foeminae conjunctio, ut & liberorum procreatio, juris naturæ proprie dicti non sunt, ab Imperatore tamen ad jus naturæ latius ita acceptum, referuntur: pr. I. d. I. N. G. & C.

### IV.

Consuetudo & mores sunt jus: Consuetudo & mores non sunt jus. Utrumque rectè asseritur, veriùs tamen hoc quàm illud.

### V.

Fratrum & Sororum nuptiæ, nec cum jure Naturæ, nec cum jure Gentium, sed cum solo jure Civili & Canonico pugnant.

### VI.

Species ex alienâ materiâ, malâ fide facta, quamvis ad rudem materiam reverti nequeat, non tamen fit specificantis, sed domini materiæ.

### VII.

Is cujus ædes oneri ferendo alterius inserviunt, columnam aut parietem, qui onus fert, reficere non tenetur. Nisi id speciali pacto constitutæ servituti adjectum sit.

### VIII.

De levissimâ culpâ conductor non tenetur.

### IX.

Qui periculum rei suscepit, is & casum fortuitum præstare tenetur.

### X.

Qui ad casum se obligavit, insolitum non præstat.

Post



**P**ost tria lustra, tibi quartus vix transit annus,  
Palladis & quintum praelia docta capis.  
Haecenus exponens sanctissima dogmata juris,  
Æquius & melius quæ ratione docent.  
Barbara nunc damnas, furiarum pectore nata,  
Quæque magis miseros jura ferire solent.  
Ex quibus immeritas patitur sine crimine pœnas  
Naufragus, & fisco est, nil meruisse, nefas.  
Saxa ferit clamor, resonat plangoribus æther,  
Fœda procella fugit, fluctibus ira perit;  
Solutus homo duris tantò crudelior fatis,  
Tot miseri lacrymis mollior esse nequit.  
Quod mare restituit, casum miserata querentis,  
Littora quod servant, accola quisque vorans,  
*Quicquid conspicuum pulchrumq; est aquore toto,*  
*Res, ait, est fisci: sic tegiturque scelus.*  
Hoc, KETTLERE, nefas bene fers acherontis ad undas,  
Ad Phlegetontis aquas, familiamque Stygis.  
Mitius hoc hominum, *miseris succurrere*, jus est.  
Et: *Curis pressos quosque levare decet:*  
*Reddere, quod adimit casus, ratione subemur.*  
*Ex damno alterius nemo lucratur opes.*  
Hæc, quæ victa jacens Pietas, cœloque recepta  
Diva Astræa docent, non sine laude colis.

At-

Sint tibi perpetuæ vires , sic jura tuendi,  
Nec permisceri fasque nefasque, finas.  
Et studium sic quisque tuum laudabit, amabit,  
Et nominis surgens stabit in orbe decus.

*Hisce Nobilissimo Dn. AUCTORI, Amico suo sva-  
vissimo, veram Jurisprudentiam, æqui bonique  
artem colenti, novum industriae studiiq. suæ  
documentum gratulatur*

PRÆSES.









ULB Halle


3

005 132 541



WMA







1771.

1680/14 a  
D.  
13

# J U S APPULSUS,

Das  
Strandt-oder Grundrühr-Recht/  
Divinâ asistente gratiâ

&  
Illustris Jctorum Ordinis permissu,  
in florentissimâ Jenensi,

PRÆSIDE  
DN. JOACHIMO Rämpffer/  
J. U. D.

*Publicâ Disputatione, eruditorum disquisitioni  
subjiciet,*

AUCTOR & RESPONDENS  
JOHANNES DIETERICUS Rettler/  
Nordâ Frisius Orientalis.

*Ad diem Augusti Anno 1680.*

JENÆ, Literis JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI.

